



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *THEATINA ET ALIARUM* *NOVA PROVINCIAE
ECCLESIASTICAE THEATINAE RECOGNITIO

Fructuosae Ecclesiae administrationi et catholicorum bono spiritali non parum prodest circumscriptiones ecclesiasticas iusta ratione constitui. Quod considerantes Sacrorum Antistites regionis Aprutinae et Molisinae, atque normis Decreti Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus », n. 40 obsequentes, ab hac Apostolica Sede postulaverunt ut provinciae ecclesiasticae Theatinae fines opportune recognoscerentur. Nos autem, quorum est ex divino mandato necessitatibus omnium Christi gregis portionum sollerti cura prospicere, pro certo habentes huiusmodi petitionem in animarum salutem esse cessuram, preces eorundem admisimus et haec quae sequuntur Nostra Apostolica potestate statuimus et decrevimus. Circumscriptiones ecclesiasticae, quae intra fines provinciae civilis Theatinae comprehenduntur, provinciae ecclesiasticae Theatinae adgregentur et iuri metropolitano eius Archiepiscopi ad normam iuris communis subiciantur, Archidioecesi Lancianensi non excepta, quae tamen titulum metropolitanum amittet, extincta provincia eiusdem nominis. Proinde metropolitana Ecclesia Theatina constabit ex suffraganeis Ecclesiis : Vastensi, Lancianensi, quae dignitatem archiepiscopalem servabit, et Ortonensi, quae perget esse aequae principaliter coniuncta cum Ecclesia Lancianensi. Ad haec omnia perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Vincentium Fagiolo, Archiepiscopum Theatinum atque Conferentiae Episcopalis Aprutinae et Molisinae Praesidem, factis ad id necessariis et opportunis facultatibus, quas alii legare poterit, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, documenta exarentur et eorum sincerum exemplar quam primum ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittatur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	SEBASTIANUS Card. BAGGIO <i>S. Congr. pro Episc. Praefectus</i>
---	--

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 6, pp. 665-666

© Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana